



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-539150-p0002-5

DFG





UNUM INSTAR OMNIUM  
ANALYTICE DIDUCTUM

*Sive*

# QVÆSTIO

An & quomodo ex singulari univer-  
sali recte probari possit?

*quam*

EX DECRETO

AMPLISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICI  
PRO LOCO

in Eodem more Majorum rite  
obtinendo,

*publicæ doctorum συζητήσεο exponit*

M. CHRISTOPHORUS Stånder/

Numburg.

RESPONDENTE

I O H A N N E Daumen/

Naufesa - Thuring.

In Illustri Salana

ad diem Mart.

H. L. Q. C.

---

Jenæ, Literis Bauhoferianis, Anno 1685.



*Venerando Ministerio Leucolimnensi,*  
**DN. SUPERINTENDENTI,**  
VIRO

*Maxime Reverendo, Amplissimo, atque Excellentissimo*  
**DN. KILIANO Stiſer/Scholæ**

*Ibidem Sen. Inspector Gravissimo,*  
**DN. ARCHIDIACONO,**  
VIRO

*Plurimum Reverendo, Amplissimo, Clarissimoque*  
**DN. M. JOH. MARTINO Gobed/**  
**DN. DIACONO,**

*Admodum Reverendo, Clarissimo ac Doctissimo*  
**DN. M. JO. CHRISTIANO Genige/**  
Nec non Status Politici Bigæ,

*Præ-Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo*  
**DN. CHRISTIANO Riesling/**  
Præfecturæ Ducal. Saxo - Leucolimnensis Præfector  
longe Gravissimo,  
Ut & VIRO

*Clarissimo, Consultissimo & Doctissimo*  
**DN. JOHANNI Meyer / Præ-**  
fecturæ ibidem Ducal. Saxo - Leucolimn. Aquario Meritissimo,  
DNN. Mæcenatibus, Promotoribus, Patronis atque  
Fautoribus maxime suspiciendis,  
*Dissertationem hanc in sui suorumque studiorum commendationem*  
*& devoti ad obsequia animi declarationem offert, dedicat*  
**Johann Daume / Respondens.**





## Moderante supremo rationis no- stræ Moderatore!

§. I.



Uanto inter mortales bono sit  
bonæ consequentiæ rectior usus, haut quen-  
quam facile , qui quidem hominem esse  
meminerit, & summo rationis Arbitro fa-  
cilitatem ratiocinandi acceptam ferat , am-  
bigere posse, perswasissimum est. Qui e-  
nim anilibus nugis aures præbere vacivas  
recusat, huic defæcatæ veritatis amore ducto religio fuerit, in  
rebus magni momenti, quasque nosse penitus haut parum nostra  
interest, aut ignorare, aut non attendere consequentiam eliciendi  
rationem. Finge tibi in quocunq; foro quascunq; materias, sume  
tibi aliorum examinanda placita, tuum quoque sensum, quo  
abundare forsan non abs re videris, cum aliis communica; ine-  
ptus tamen eris sãpissime, nisi probe istam, quam vocare sic  
artem liceat, calleas, quæ te recendentem a regia veritatis via  
revocet ad eandem, ac reducat. Sive igitur quæstio agitetur,  
sive controversia expendatur, necesum est, ut illud, quo de  
quæritur, per aliquod notius vel demonstretur, vel rejiciatur.  
Atque hoc est formaliter procedere, cum alias nulla foret dis-  
ceptatio , nullum controversæ quæstionis examen, hoc si non  
eslet. Quare ne subeat mirari, si dixerimus, non disputare il-  
lum , sed nugari , si quis disputare velit , & rationem eliciendi  
consequentiam aut ignoret, aut non observet, ut verba Cornelii  
Martini nostra faciamus, quibus utitur in *aureo de Analys. Log.*  
*Tract. p. m. III.* Nisi enim omnem rationem & ratiocinationem  
quis ejuravit, fateri debet, id ita esse: Bona consequentia est  
bona forma; Et mala consequentia concludere est concludere

A 2

ex

ex iis, ex quibus non sequitur, quae est manifesta contradictionis implicatio, quod est sequelam, sine tamen futela, facere.

§. 2. Cæterum vel ex eo dignitatis sibi multum vendicat verior consequiam eliciendi ratio, quod eandem Deo ter optimo terque maximo sua debere incunabula, liquido constet. Nam ceu ex magno Hippomenium Episcopo docet laudissimus Cornelius Martini, p. 68. seq. veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus, & notata, ut eam possint vel discere, vel docere: Ita u. g. hoc, ut consequenti ablatio auferri etiam necessario debeat, quod præcedit, non instituerunt homines, sed ostenderunt. Non instituerunt, sed mentibus suis jam tum insitum observarunt ab eo, a quo sunt omnia, quae sunt. Quid? quod ipse Deus sapientissimus ad nostram condescendens quasi imbecillitatem hoc modo hominum se accommodet captui. Neque enim divinæ suæ scientiæ in eo sit consultum, quippe cui sunt omnia magis præsto, quam quod maxime; quando unice nostri causa in verbo revelato necit quandoque consequentias, aut certe talia revelat, ex quibus, interventu bonæ sequelæ, varias deducere conclusiones integrum censetur. Agit enim Deus, & loquitur cum hominibus, ut sunt homines, hoc est, ut ratione recte uti, & per hanc unum ex altero colligere valent. Hinc quando revelavit nobis e. g. omnes homines esse baptizandos; infantes etiam baptizandos esse, tacite innuit. Pariter cum instar immundi panni justitiam nostram se habere docuit, omnem ipsi opinionem meriti simul penitus derogavit. Quod si non dixerunt homines consequentiarum leges, sed Deus ipse tulit, ac probat etiamnum; quis quæso de nihilo esse haroletur regulas & momenta consequentiarum expendere, atque in eo dignoscere curatius, quid distent æra lupinis, quidque inter verum & falsum, inter bonam consequentiæ rationem & sophisticam deceptiunculæ imposturam discriminis intersit; quæ syllogisandi ratio in Sacris etiam obtineat, an vero detur, aut dari possit, quæ videatur merito lenervis? Operæ proinde pretium facturum credimus, si quis in tali materia nobilissima enucleanda paulo desudarit.

§. 3. At enim mella plerunque tegunt apes, & spina rosas



fas armare solet, nec deest certe sua, quæ præsentem premat  
materiam, difficultas. Quo enim pulchrior hæc doctrina, eo  
pluribus exposita est dissensionum divortiis, imo nonnunquam  
Sophistarum strophis, ut facile heic fuerit, nisi quis oculatus  
bene ceu Lynceus extiterit, fumum arripere pro auro, & ob-  
jecto glaucomate opertæ vim veritatis frustra tentare. Nam,  
ut Plautino loquamur labio, in Captivis Act. II. sc. II. v. 5. quica-  
vet, ne decipiatur, vix cavit, cum etiam cavit: Etiam  
cum cavisse ratus est, sape is cautor captus est. Ver-  
rum quoties ad lapsum via pronior, toties cautela & magis  
circumspecta opera maxime utendum erit. Bene profecto ha-  
bet πολυθεύλητον illud: Τινώτερα καλλίω, siquidem quæ ini-  
tio plus molestiarum, deliciarum quoque plurimum ultimo fe-  
runt. Itaque in præsenti nobis animus est, utilissimam talis  
generis quæstionem pro ingenii modulo pertractare, atque nunc  
de eo dispicere: An & quomodo unum instar omnium in proban-  
do esse possit? Seu: An & quomodo ex singulari universale, ob-  
servatis rite observandis, in sacris & alibi deduci possit? Tu ve-  
ro, L. B. si Tibi altius infederit animo illud Aristotelis: Μία  
χελιδὼν ἔτης 8 μονᾶ, 8δὲ μία ἡμέρα: Ετῶ δὲ 8δὲ μανδέρον ηγή  
ἐνδαινοντα μία ἡμέρα, 8δὲ ὁλίγος χρόνος. Ver nec una fa-  
cit birundo, nec unus dies: Et beatum hominem eodem modo nec  
unus dies, nec breve facit tempus Lib. I. Ethic. c. 6. si que adeo  
unum instar omnium esse posse, absconum fortassis a veritate du-  
xeris; veniam tantisper rogatus adassertio dabis, donec expen-  
sis rationum momentis, non birundinem istam esse credas sub  
recto haut ferendam, ceu Pythagorænum svadet regula; sed vo-  
cem ipsissimæ veritatis, quæ recte philosophantium aures suo  
quodam jure debeat circumsonare.

§. 4. Sed heic non abs re fuerit, occasionem, quæ no-  
bis subnata fuit, hanc eandem quæstionem ventilandi, edisse-  
rere. Cum nimur certum sit, magnum consequiæ pon-  
dus, vimque incredibilem in omni rerum genere deprehendi;  
cum præterea constet, hanc non ex ociosorum hominum pro-  
prio cerebello produisse, nec sub velo humanae institutionis  
contemnendam esse, quippe quæ suam Deo debeat originem;

quæri poterat: Anne Scripturæ sacra quadrent etiam, ac debeant semper quadrare ad istas bona consequentia regulas? Ubi sicut impium esset, vel cogitare velle, quod Spiritus Sanctus, ipsa Veritas & Sapientia, uspiam necat consequentiam sine sequela, & conclusionem deducat ex iis præmissis, ex quibus non sequatur: Ita reclamare nihilominus videtur, quod nonnunquam in Scripturis ex singulari dedicatur universale, adeoque a particulari ad universale procedatur, cui tamen commune Philosophorum Synedrium πολὺ καὶ λάθε contraniti, atque διαπόδων obliuctari experientia testis classica loquitur: Non igitur nobis hoc loco dicam graviorem scriptum iri persvasi fuimus, si modeste diduxerimus, an & quomodo isthic probandi modus & valeat quandoque, & vel in Philosophia suis minime destituatur exemplis.

§. 5. Prius autem, quam in ipsam causæ arcem penetremus, quædam, quæ majorem lucem mox dicendis possunt accedere, veniunt explicanda, ne obscurum sit, quid singularis, quid universalis, quid consequentiæ nomine nobis veniat heic loci. Singulare igitur & universale tum de rebus, vel τοῖς ἀνευ συμπλοκῆς λεγομένοις usurpantur, tum de propositionibus, vel τοῖς κατὰ συμπλοκὴν λεγομένοις. Utroque modo sumuntur vel absolute, vel respective. Absolute de rebus accipiuntur, quando Aristoteles ait, rerum alias esse universales, alias singulares ὡς ἐρην. c. 7. Et universale quidem describit quod (pluribus inesse) de pluribus prædicari aptum sit, singulare, quod (pluribus inesse) de pluribus prædicari nequeat. Respective de rebus accipiuntur, quando Aristoteles singulare, quod ipsi est τὸ καὶ οὐ ξεναγον, ita accipit ut etiam universale complectatur comparatum cum eo quod est magis universale; sicut homo respectu animalis est singulare, quia est minus universale, & minus late patet, quam animal. Ast quando ad complexa seu enunciations singulare & universale spectant, absolute singulare dicitur propositio, cuius subjectum est singulare, ut: Socrates est sapiens; Socrates non est sapiens, ὡς ἐρην. c. 7. Universale autem (quod respective tali modo non sumitur) est propositio, que prædicatum subjecto omni vel nulli inesse dicit. Lib. I. pr. c. I. Pariter quando ad enunciations spectant, singulare respective etiam



etiam *universale* dicitur comparatum cum eo, quod est magis *universale*; sicut hæc enunciatio: *Omnium contrariorum eadem est disciplina; est singularis seu singularior.* Ista autem: *Omnium oppositorum eadem est disciplina; est universalis seu universalior.* Cœterum extra dubium positum videatur, certo modo *singularem enunciationem complecti & particularem;* quod tamen parum facit ad præsentem Helenam. Intelligimus ergo heic potissimum per *singulare ac universale propositiones singulares, maxime vero absolute tales; ac universales (que scil. expresse appositum habent signum universale; cum aliud sit propositio universalis vera, & aliud propositio universaliter vera) & sensus questionis huc redit: An ex puris præmissis absolute singularibus ad universalem conclusionem consequentia valeat? hoc est: An ex veris præmissis singularibus vera conclusio universalis deduci possit?*

§. 6. Ulterius in antecessum quædam notanda veniunt (1) supponimus, prædicatum conclusionis, seu majorem terminum non solum subjecto singulari, sed omnibus illius speciei individuis communiter competere, ac omnibus quoad illud prædicatum eandem esse rationem, ita quidem, ut subjectum hoc referat quasi totam speciem, & prædicatum subjecto isti esse entiale sit, aut si extraentiale, competit tamen ut necessarium. Exempli gratia, bona est concludendi ratio: *Justitia Aristidis servat medium. Justitia Aristidis est Justitia.* Ergo omnis *Justitia servat medium: E contrario vacillat isthæc: Abraham justus filium suum hostiam destinat.* Abraham est homo. Ergo omnis homo justus filium suum hostiam destinat. Supponimus ergo & hoc, quod istud oporteat semper prius constare, aut solidissime probatum esse, quod, quæ est ratio singularis, eadem & non alia sit universalis; ita quidem, ut propositio singularis non virtute propria inferat conclusionem universalem, sed virtute aliquis universalis, cuius veritate nititur. Verbi gratia hæc argumentatio: *Virtus Aristidis servat medium. Virtus Aristidis est Virtus. E.O. virtus servat medium; nititur veritate illius: Quæcumque est ratio unius numero Virtutis, eadem est ratio omnis virtutis.* Atqui unius numero virtutis ratio est (quod postmodum



dum probatur exemplō virtutis Aristidis ; quæ est una numero  
virtus ) ut servet medium : Ergo omnis virtutis eadem ratio  
est , ut servet medium . Hoc sedulo & semper notatum volu-  
mus . ( 2 ) Secundo loco monemus , consequentiam , quæ vi vo-  
cis dicit sequelam unius ad alterum , esse vel formalem , seu for-  
maliter bonam , vel materialem , seu materialiter bonam . Illa  
est , cum in nulla alia consequentia , quæ est similis formæ ( hoc est  
que constat aequum multis terminis eodem ordine dispositis ,  
& aequum multis propositionibus , eandem quantitatem &  
qualitatem habentibus ; vel quæ est ejusdem figuræ & modi , Conf.  
Phil. Dutrieu tr. 3. part. 1. cap. 1. artic. 2 ) dari potest antecedens  
verum consequente falso . Hac vero est cum in nulla alia conse-  
quentia , quæ est similis formæ ac materiae ( consequentiae similis  
materia dicuntur , in quibus vel est idem terminus inferens &  
illatus , vel saltim eadem est habitudo inter terminum inferentem  
& illatum , ut quando utrobique terminus inferens est species , ter-  
minus vero illatus est genus ) dari potest antecedens verum conse-  
quente falso . Vid. Phil. Dutrieu cit. loc . ( 3 ) Nec illud siccō  
prætereundum pede , syllegismum esse vel διεπικών , qui scili-  
cet recta via ex duabus propositionibus in certa figura & modo  
infert conclusionem , h.e. propositam quæstionem , de qua quæ-  
rebatur , Vid. Arist. I. pr. c. 22. Vel εἰς ὑποθέσιως , qui rursus  
vel est εἰς τὸ ἀδύνατον ad impossibile ducens , ubi ex contra-  
dictoria illius partis quæstionis , seu conclusionis , quæ proban-  
da est , & alia propositione vera vel saltim ab adversario concessa  
infertur conclusio manifesto falsa : Quia autem in bona forma  
conclusio falsa esse nequit , nisi una ex præmissis sit falsa ; altera  
autem præmissarum in tali syllogismo vera est ; ideo patet , fal-  
sam esse contradictoriam illius partis quæstionis vel conclusio-  
nis , quæ probanda est , ipsam vero conclusionem , quam proba-  
re animus erat , veram esse . Vid. Venerandi DN. D. Bechman-  
ni Noſtri Institut. Log. Vel καὶ μεταληψίη secundum trans-  
umptionem , quando quæstio vel conclusio probanda transfer-  
tur in aliam hac hypothesi & conventione , ut , si hæc fuerit  
probata , ipsa conclusio , de qua quæstio est , pro demonstrata  
habeatur ; ubi id , in quod proposita quæstio transfertur , quod-  
que directe concluditur , τὸ μεταληψανόμενον vocatur ; quæ-  
stio



stio autem, quæ in aliam transfertur; queque oblique demonstratur, τὸ εἰς δέχην audit. Sicut autem conventio potest esse tacita, vel expressa; ita syllogismus, qui vel hac vel illa nititur, variare potest; & videtur syllogismus, qui expressam supponit conventionem, commode εἰς ὁμολογίας vel Διαθήκης ὁμολογύμενος, is autem, qui tacita nititur conventione, metalepticus absolute vocitari posse.

§. 7. Quibus nunc prælibatis facillimum evadit exponere, in quonam cardine præsens nostrum ζητητικά vertatur? Quippe huc mens nostra redit: *An ex puris singularibus cum, quando medio termino, tanquam singulari totam representanti speciem prædicatum jungitur, quod omnibus aliis individuis sub specie ista contentis peraque ac necessario, vi universalis propositionis, cuius veritas in confessu est, competit, in certa figura universalis conclusio recte inferatur, ubi, quod de singulari affirmatum erat, universaliter affirmetur de specie; ita quidem, ut, si conclusio ista non δειπτικῶς ac ostensive, per transsumptionem tamen, & factam vel tacitam, vel expressam conventionem sequatur, vel etiam sine metalepsi consequentia non quidem formaliter, at materiali recte ac rite talibus e præmissis deducatur?*

§. 8. Nulli autem dubitamus affirmativæ subscribere sententiæ, haut evanida conjectura persuasi, verum certa ratione nixi, collectionem talem, si dicto modo sese habeat, firmissimo stare tali. Lubet ob meliorem rei intellectum exemplum statim subjungere. Ita bona est sequela: Petrus pœnitentiam agendo veniam peccati impetrat. Ergo omnis homo credens pœnitentiam agendo veniam peccati impetrat. Ubi certe Petrus hoc quidem in passu & respectu hujus prædicati totam quasi refert speciem humanam; cum, quæ sit ratio consequendi veniam peccati in Petro, eadem & non alia sit in omnibus hominibus; quid prohibet igitur, quo minus de homine in universum prædictetur, quod de Petro ita prædicari constat, ut eadem ratione de omnibus, qui Petri sunt similes, prædicari posse ac debere certum sit? Ast, ut res clariori radiet luce, formabimus integrum syllogismum: Petrus pœnitentiam agendo veniam peccati impetrat. Petrus est homo credens. Ergo omnis homo credens pœnitentiam agendo veniam peccati impetrat. Quam

B

con-



conclusionem dicimus recte inferri, consequentia scilicet materiali, si deinceps ac directe ex his præmissis illatam putemus: Quod si statuendum sit, veluti est, ex istis præmissis consequentia formalis ac directe deduci debuisse isthanc conclusionem: Ergo quidam homo credens pœnitentiam agendo veniam peccati impetrat; in cuius locum ob universalem eandemque rationem statim ista, prolixitatis evitandæ causa, substituta sit: Ergo omnis homo credens pœnitentiam agendo remissionem peccati impetrat; (cum alias duplii syllogisatione opus fuisset, partim quidem ista: Petrus pœnitentiam agendo veniam peccati impetrat. Petrus est homo credens. Ergo quidam homo credens pœnitentiam agendo veniam peccati impetrat; partim hac: Quæcunque est ratio impetrandæ remissionis peccatorum in aliquo homine, seu in Petro, eadem est in omni homine. Atqui in aliquo homine seu in Petro pœnitentia est ratio impetrandæ remissionis peccatorum. Ergo pœnitentia etiam est ratio impetrandæ remissionis peccatorum in omni homine, & consequenter: Omnis homo (credens) pœnitentiam agendo remissionem peccati impetrat;) putamus per *μετάληψιν* & tacitam quasi conventionem id optime fieri posse; quoniam probata hac: Quidam homo credens pœnitentiam agendo remissionem peccati impetrat; ob eandem, universalemque rationem, quæ supponitur, & hæc concedenda veniat: Omnis homo credens pœnitentiam agendo remissionem peccati impetrat.

§. 9. Videbimus, quibus superstructa fundamentis sententia nostra ruinam haut ita facilem metuat. Primum suppeditat *B. Stablius in subtilissima Disput. de Consequentia a particulari ad universale.* Quicquid necessario & tanquam essentiale convenit uni singulari, id convenit (universaliter) toti speciei specialissimæ (propterea quod species specialissima continet totam essentiam individuorum.) Atqui quod in collectione a singulari ad universale de uno singulari prædicatur, necessario & tanquam essentiale convenit uni singulari. Ergo quod in collectione a singulari ad universale de uno singulari prædicatur, convenit (universaliter) toti speciei. Quid heic dici potest clarius? Sane si essentiæ rerum sunt æternæ, hoc est, si perpetua datur connexio in propositionibus essentialibus inter prædicatum & subjectum,

id



id, quod prædicatur de singulari, si non etiam de specie specia-  
lissima prædicari posset, esset simul singulari esse entiale, & non  
esset: Esset, quia supponitur, quod sit prædicatum, quod de isto  
subjecto singulari prædicetur essentialiter, h. e. vere, necessario,  
& ita, ut ratio a priori dari nequeat: Non esset, quia non com-  
peteret toti speciei specialissimæ, cum tamen nihil competit es-  
sentialiter individuo, nisi etiam toti speciei specialissimæ com-  
petat, quippe quæ continet totam essentiam individuorum.  
Cœterum quando prædicatum non quidem est esse entiale, at ne-  
cessarium tamen; adhuc consequentia materiali conclusionem  
universalem exinde inferri posse, argumento eodem inducti, mu-  
tatis nimirum mutandis, credimus; quia id, quod necessarium  
est, quam rationem habet in uno, eandem certe habet in omni-  
bus, alias non esset necessarium.

§. 10. Alterum argumentum, quod itidem *B. Stablio* debe-  
mus, sic habet: Quæcunque argumentatio materiam obtinet i-  
doneam formandis propositionibus, quæ in legitima forma in-  
ferant eandem conclusionem, vel aliam ejusdem valoris, aut ex  
qua illa necessario sequitur; ea concludit necessario vi materiæ,  
adeoque consequentia materiali. Atqui hæc nostra argumen-  
tatio, ubi unum instar omnium valet, est hujuscemodi. Ergo  
stat conclusio. Nam quod minorem attinet; certe ex hac nostra  
argumentatione contexi possunt propositiones constituentes  
syllogismum in prima figura; sicut v. g. ex hac: Liberali-  
tas Cimonis consistit in medio. Liberalitas Cimonis est  
liberalitas. Ergo omnis Liberalitas consistit in medio;  
contexi possunt hæc propositiones constituentes syllogismum  
in prima figura: Quodcunque necessario & essentialiter conve-  
nit liberalitati Cimonis, convenit omni Liberalitati (quia scil.  
Liberalitas Cimonis sub Liberalitate tanquam specie specialissima  
continetur, at quicquid necessario & ut esse entiale convenit in-  
dividuo, convenit toti speciei specialissimæ, seu omnibus sub ea  
contentis, quod supponimus.) Atqui τὸ consistere in medio  
necessario & essentialiter competit Liberalitati Cimonis. Ergo τὸ  
consistere in medio convenit omni Liberalitati, & consequenter  
omnis Liberalitas consistit in medio. Huc etiam alias accedit,  
quod nostra argumentandi ratio talis est, ut in nulla similis for-

mæ & materiæ præmissis veris conclusio falsa possit sequi; quan-  
docunque enim de eodem individuo affirmatur primo id, quod  
convenit ei necessario & essentialiter, deinde id, sub quo tanquam  
sub specie specialissima continetur individuum; semper efficie-  
tur inde conclusio universalis prædicati prioris de prædicato  
posterioris propositionis; id quod inductione constare potest;  
ecquis ergo subdubitaret amplius, unum instar omnium esse pos-  
se ac debere, ita ut consequentia materiali id genus collectionis  
nitatur?

¶. ii. Conabimur rem porro suis persuadere rationibus. I-  
gitur extra controversiam positum videtur, a singulari ad particu-  
lare, itemque a singulariori ad magis universale formalem dari  
consequentiam. Nam sicut expositorius syllogismus omnes  
partes boni syllogismi explet, ut ipsi non solum definitio syllo-  
gismi competat, sed etiam figura & modus respondeant, immo  
principium istud, quo innituntur omnes syllogismi: Quæcum-  
que sunt eadem uni tertio, illa sunt eadem inter se: Vel: Quo-  
rum unum est idem uni tertio, a quo alterum est diversum; illa  
sunt diversa inter se; multo distinctius in hoc exerceatur; ita ni-  
hilo secius syllogismus de medio singulari, cuius expositorius  
quædam species est, bene habet. Quis enim id genus syllogis-  
mos: Christus est  $\alpha\tau\alpha\nu\delta\epsilon\tau\eta\tau\omega\zeta$ . Christus est verus homo. Ergo qui-  
dam verus homo est  $\alpha\tau\alpha\nu\delta\epsilon\tau\eta\tau\omega\zeta$ : Gloriosissimus Leopoldus ful-  
get Imperatoria dignitate. Gloriosissimus Leopoldus est Germa-  
nus. Ergo quidam Germanus fulget Imperatoria dignitate:  
Item: Virgilius est Poëta. Virgilius est homo. Ergo quidam  
homo est Poëta; quis, inquam, hos & similes virgula censoria  
perstringeret; cum formalem dicant consequentiam, semperque  
ex præmissis singularibus vera conclusio particularis pure talis se-  
quatur. Notanter dico: Pure talis; si enim conclusio præter  
hoc, quod particularis est, dicat etiam excessum aliquem, & in  
plurali ponatur, v. g. in allatis exemplis: Ergo quidam homi-  
nes sunt  $\alpha\tau\alpha\nu\delta\epsilon\tau\eta\tau\omega\zeta$ : Quidam Germani Imperatoria dignita-  
te fulgent: Quidam homines sunt Poëtæ; nulla adest formalis  
consequentia. Pariter quis non ferret sic argumentantem: O.  
liberalitas consistit in mediocritate. O. liberalitas est Virtus. Er-  
quidam virtus consistit in mediocritate; O. homo vivit.

Omnis



Omnis homo est animal. Ergo quoddam animal vivit? Ubi tamen rursus progressus fit a singulariori ad magis universale, nempe a liberalitate ad Virtutem, ab homine ad Vivens. Nam in tali casu a singulari valet consequentia ad universale, non tamen universale universe seu distributive accēptum, hoc est, sequitur tunc conclusio formaliter, quæ tamen præfixum habeat signum particulare, non autem universale. Jam præmissis hisce nihil absurdum videmus, si quis adserat, universales quoque conclusiones nonnunquam loco particularium recte substitui. Si enim ex singularibus sequitur particularis conclusio, sequetur etiam universalis, propter hanc hypothesin, quod, quanquam singulares propria virtute inferre nequeant universalem propositionem; queant tamen adjitæ regula universalis. Sive igitur ex præmissis istis deducas conclusionem particularem, quæ formaliter & immediate sequitur; sive universalem, quæ non nisi vi materiæ sequitur, perinde feceris, cum una in alteram optimè transferri poscit, & si una sit vera, alteram propter universalem eandemque rationem veram quoque esse oporteat. Cœterum difficultatis nihil habet de syllogismo metaleptico, siue usus ejus, necne; cum non solum præstantissimi Philosophi, verum etiam ipsa ratio satis pro eodem loquantur.

§. 12. Favet nobis in negocio præsenti & alia ratio, qua evinci potest, Unum instar omnium in probando censi possit. Nimirum optimum argumentandi genus inductionem esse, quis nescit? Nituntur sane hac eadem pleraque omnes demonstrationes, quippe quæ inservit probationi primæ ac medio carentis propositionis, *vid. Aristot. 2. pr. t. 23. & 2. post. c. 18.* Unde colligere tenemur ex notioribus nobis notiora natura, nimirum universales propositiones, a primis statim pueritiae annis, ex quibus per inductionem notis educantur conclusiones per syllogismum demonstrativum. Universalia enim sine inductione cognoscere ac inductionem sine sensu facere absolum videtur. *Conf. Hartvici Wichelmanni Analyticam p. 29. & 30.* Utī vero ex omnibus singularibus deducere licet universalem propositionem; ita ex uno singulari cur non idem fieri possit, haut video, si quidem certus sim, eandem rationem esse in reliquis individuis respectu hujus vel illius prædicati, quæ in hoc est.

Hinc Job. Bapt. Monlorius docet, si induc<sup>t</sup>io fiat in rebus necessariis, & quæ per se conveniunt, quamvis aliquot tantum singularia sint enumerata, recte colligi universum, propterea quod id, quod necessarium est, quam rationem habet in quibusdam, eandem habeat in omnibus, in Schol. in 2. pr. C. 23. Hoc si verum est; in rebus necessariis quoque, & quæ per se conveniunt, sicut ipse loqui amat, recte colligitur universum, quamvis unum solum singulare loco antecedentis sit adductum. Non enim minus eam rationem habet in omnibus id, quod necessarium est, quam habet in uno, atque quam habet in quibusdam. Vid. B. Stablium in laudata Disput. Conf. Mich. Piccarti Disputat. de Inductione §. L. seqq. quæ habetur in Philos. Altdorphina num. XXIV.

§. 13. Tandem ipsum Philosophum heic οὐόψηνον nobis habemus, qui 2. pr. c. 24. reliquit ipse modum inferendi conclusionem universalem ex præmissis singularibus; quando scilicet argumentationem exemplarem proposuit, qua majus extre<sup>m</sup>um probatur convenire medio per id, quod est simile minori extre<sup>m</sup>o: Ubi duo occurunt syllogismi, unus imperfectus, in quo ex particulari simili majori extre<sup>m</sup>o colligitur universalis præpositio, quæ similitudinem utriusque rei particularis continet: Alter vero perfectus, in quo ex propositione universali concluditur aliquod particulare. Conf. Mich. Piccarti Organon Aristoteleum supra hunc loc. Sicut ergo ipse Aristoteles talem probandi rationem edocuit, ita vel tacite nostram sententiam statuminavit. Neque obstat, quod ipse Philosophus hujusmodi argumenta solvi posse, & ἀτύπογενα esse, fateatur I. Rhet. ad Theodecten c. 2. Responsio enim facilis est. Nam ambabus quidem largimur, ejusmodi Syllogismum imperfectum esse, neque necessaria consequentia, sed tantum probabili saepe constare; quod si enim exemplum ad unum fortasse quadret, non tamen idcirco statim in omnibus valebit, cum duobus idem facientibus id non statim sit idem: interim quicquid illorum sit, sufficit, nos posse argumentari a singulari ad universale, si ve iam illud fiat consequentia probabili, sive necessaria, quod ex materia substrata cognoscendum erit. Quod tamen a singulari



gulari ad universale necessaria quoque vi materiae detur consequentia, superius dicta plenam fidem faciunt. Ac proinde, quia certum est, sequi ex singulari universale posse, non tamen necessario, nisi materiae vi hoc fiat; certissimum quoque est, quoties materia hujuscemodi est, prout requisitum fuit §. 6. toties necessariam consequentiam, materialem scilicet, dari.

§. 14. Verum video, quid heic reponi possit. Primo enim omnium auctoritas urgebitur canonis logici, quem longa seculorum series cohonestavit unanimi consensu, quemque hodienum docta sonant Logicorum pulpita, subselliaque ingeminant: *A particulari ad universale non valet consequentia*. Seu: *Ex puris particularibus nihil sequitur*; cui tamen adserendum nostrum e diametro videtur obluctari. At vero in vado **res** est. Respondemus enim (1) negando istum canonem, si ita nude & crude accipiatur. *Unus instar omnium esto laudatissimus Doctor B. Stahlius*, cujus auctoritas nobis patrocinari possit; utpote qui *insubtilissima Disput. de Consequ. a part. ad univ.* veram sententiam solide diduxit, ac genuinum sensum effati philosophici prolixiuscule adseruit. Si proinde absolute accipiatur, ex puris particularibus (quatenus haec & singulares & illas, quae respectu magis universalium singulares audiunt, complectuntur) nihil ullo modo sequi; & veritas huic reclamat, & obloquitur ratio, & experientia repugnat, ceu ex supra dictis constat. Quod si vero sensus hic sit: *Ex puris particularibus (hoc est iis quarum subjectis particularia signa sunt praefixa) nihil sequitur formaliter*, adeoque hoc modo a particulari ad universale non valet consequentia; sicut non valet: *Quidam homo non videt. Quidam videns est homo. Ergo quidam videns non videt; multo minus: Ergo Nullus videns videt*; sic libentes ad istam sententiam accedimus. Respondemus autem tunc (2) aliam esse rationem particularium, aliam singularium stricte dictarum. Nam ex puris particularibus tali modo acceptis plane nihil sequitur, partim quia tales syllogismi non congruunt ad dictum de omni & nullo, quod requirit inter alia, ut minimum unus terminus affirmatus, itemque universalis occurrat, vid. *Arist. I pr. c. 23*, partim quia non respondent isti canoni: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem*

dem inter se, cum in his tertium, in quibus extrema convenire debent, non sit unum, sed divisum; partim quia in particularibus syllogismis plures dantur termini quam tres, siquidem medius terminus propter particularitatem aliter in majore ac in minore aliter accipitur. Contra vero ex puris singularibus, quae scilicet particularibus contradistinguntur, omnino aliquid sequitur, quippe quae, cum habeant utroque subjectum unum, etiam ad dictum de omni & nullo, & fundamentum illud syllogisticum optime quadrat. Verbi gratia: Judas est damnatus. Quidam Apostolus est Judas (aut, si mavis: Judas est Apostolus) Ergo quidam Apostolus est damnatus. Sicut ergo extra dubitandi licentiam positum credimus, ex puris singularibus sequi conclusionem particularem consequentia formalis; sic ex iisdem materiali consequentia deduci posse universalem, si cetera sint paria, & praedicatum fuerit necessarium, adhuc sumus perswasissimi.

§. 15. Forsan alio ariete nostram quassare basin laborabis. Nam videtur adserum nostrum subalternationis leges itemque conversionis evertere. Quod si enim ex singulari universale potest colligi; valebit quoque simili modo consequentia a subalternata ad subalternantem; & poterit particularis quoque in universalem converti; quae tamen incongrua sunt: Verum in promtu adest responsio. Si enim formalem consequentiam nostro argumentandi modo vendicaremus, tunc esset, quod isti faveret sententiae. Quoniam autem lubentes agnoscimus, singulares ex se & formaliter universalem conclusionem inferre non posse, nisi ob hypothesin ac universalem regulam, & quidem consequentia tantum materiali; subalternationis certe & conversionis leges non obstant, quippe quae supponunt semper formalem consequentiam, secus atque hic fit. Quinimo sicut ideo in subalternationis doctrina valet consequentia a veritate subalternantis ad veritatem subalternatae, quia plus requiritur ad veritatem subalternantis, quam subalternatae; & a falsitate subalternatae ad subalternantis falsitatem; quia plus requiritur ad falsitatem subalternatae, quam subalternantis. yid. Dn. D. Beckmanni Inst. Log. Ita cum requiratur in praesenti negocio praedicatum, quod eandem

ra-



rationem habet in uno individuo, & in omnibus, adeoque non minus requiratur ad veritatem singularis, quam universalis; non video, cur non universale verum dici possit, ubi singulare verum est, cum, quæ sit ratio prædicati in uno individuo, eandem in omnibus esse, ut certissimum supponamus. Stat ergo individuum loco totius speciei specialissimæ, atque, ut ita loquar, personam quasi gerit publicam, dum omnium sub specie contentorum individuorum vicem sustinet, & sic, quia in uno individuo tota species eluceat, recte quod de individuo affirmatur, affirmatur de ipsa specie, verba sunt B. Slevogtii. Cœterum jam satisfactum & isti dubio, si quis dicat Aristotelem negare, in tertia figura conclusionem effici posse universalem, i. pr. c. II. At in nostro argumentandi modo tale quid obtingere palam videatur. Nam respondemus (1) Nihil obstat, quo minus & in prima figura dicto modo concludatur, quam ista regula hanc ferit. Quid enim prohibet, quo minus syllogismi de medio singulari in prima figura concludantur? Verbi gratia: David peccat enormiter. Quidam homo sanctus est David. Ergo quidam homo sanctus peccat enormiter. Item: Hoc lignum non mergitur. Quoddam corpus grave est hoc lignum. Ergo quoddam corpus grave non mergitur. Conf. B. Slevogtum in Disput. de Syllog. Eposit. (2) Nihil aliud exinde sequitur, quam nostrum argumentandi modum, quando in tertia figura concludit, non vi formæ concludere; quod ambabus largiti sumus, ac largimur etiamnum, cætera de hoc certi, quod materiali consequentia optime ducatur. Vide sis B. Slevogtum in Disput. de Consequ. formalis & materiali §. 18 seqq.

§. 16. Alias infirma quoque tela fore putamus, si quis ita labefactare nostram sententiam sustineat, quod, stante nostra hypothesi, non elumbis futura sit Puccii ac Huberi adsertio, quam tamen orthodoxæ fidei contrariari, quotusquisque est, qui ignoret? Scilicet Franciscus Puccius defendendam sibi sumit hanc thesin: *Electio ad salutem est universalis*. Nec minus Samuel Huberus ex præpostero zelo refutandi absolutum electionis & reprobationis Calvinianæ dogma, in falsam & Servatoris effato, Matth. 20, v. 16. & c. 22, v. 14. Pauci, (hoc est, aliqui, sed non omnes)

C

sunt



sunt electi; oppido contradicentem sententiam deflexit, omnes ac singulos homines a Deo ad salutem electos esse. Unde ne Christo videtur contradicere, dixit, omnes esse ἐκλελεγμένοις, electos participialiter, non omnes ἐκλεγτοῖς, electos nominaliter: Sed frustra & sine Scripturæ auctoritate; quæ Venetandis Theologis, tanquam ad superiorem cathedram spectantia, merito relinquis decidenda. Interim, quod ad præsens facit, videtur, juxta nostram mentem, recte Huberus ita conclusurus: Petrus est electus. Petrus est homo. Ergo omnis homo est electus. At enim quilibet videt, quod hæc argumentatio non habeat πάντα τὰ ὄντα, quia prædicatum heic non est tale, ut peræque omnibus aliis individuis, atque Petro, competit, adeoque palmarium, quod requisivimus, abest, neque adeo in tali argumentatione consequentia materialis datur, nedum formalis. Aliud ergo est, ut sic loquamur, actus electionis, aliud electionis modus: Non enim si Petrus est electus, ideo statim & Judas vel alias est electus, quia tale prædicatum subjecto nec est essentiale, nec necessarium. Quod si haberet hoc modo argumentatio: Petrus electus est ad salutem intuitu meriti Christi finali fide apprehensi. Petrus est electus. Ergo omnis, qui electus est, electus est ad salutem intuitu meriti Christi finali fide apprehensi: Seu: Ergo omnis qui eligitur, eligitur ad salutem intuitu meriti Christi finali fide apprehensi; nulli dubitamus, processurum esse; tunc enim prædicatum est necessarium, omnibusque competit; neque enim alio modo Petrus, alio alias homo est electus, sed eadem est ratio, idem modus electionis respectu omnium ac singulorum. Ex quibus fortasse patet, aut diversam esse a regulis istam argumentandi rationem, quæ in gratiam Huberi formari potest; aut, si non est diversa, nihil absurdum habere, sed veram esse.

§. 17. Non absimili modo fac, Reformatos, ut negent realem ac substantialem corporis & sanguinis Christi in S. cœna præsentiam, sic argumentari: Circumcisio cordis non fuit in circumcisione præputii substantialiter & per indistantiam præsens (Transitus in agno paschali mactato & manducato non fuit per indistantiam præsens:) Ergo nulla materia cœlestis Sacramenti (& consequenter nec corpus & sanguis Christi) substantialiter & per indistantiam in Sa-

cræ



cramento præsens est : Annon ergo bona diceretur talis argumentatio ? Verum quilibet a præconceptis opinionibus liber facile advertit, hanc ejusmodi collectionem non procedere ; quia prædicatum subiecto non æque necessario utrobiqve competit (ut nihil dicam subiectum non esse singulare stricte dictum.) Nam ceu nos docent orthodoxi Theologi, ex quorum doctrinis liceat pauca, in quantum sunt præsentis usus, huc transferre, diversissima est ratio inquirendi partes substantiales Sacramentorum. Quoniam enim unice uniceqve inhærendum est divinæ institutioni, hinc non sequitur : *Hoc competit (non competit) huic Sacramento.* Ergo etiam competit (non competit) alii ; nam cognosci tantum potest ac debet ex divina Institutione cujusq; Sacramenti, quid eidem competit aut non competit; minime omniū autem ex collatione alterius Sacramenti, quod suam peculiarem Institutionem sibi habet, ac non alii. Jam quænam est sequela : *Circumcisio cordis* (quam sane Deus non instituit, ut tanquam substantiale circumcisioni carnis uniretur, quippe cujus fructus & effectus fuit, nec etiam omnibus circumcisis communis) non fuit præsens circumcisioni carnis. Ergo nec corpus & sanguis Christi cum pane ac vino sunt præsentia (qua tamen Deus instituit, ut præsentia sint, & cum pane ac Vino sacramentaliter uniantur.) De altero exemplo idem esto judicium. Deinde supponunt Reformati, circumcisionem cordis esse materiam cœlestem in circumcisione, itemqve transitum in agno paschali ; quod tamen nondum est probatum, neqve ex institutione cujusqve Sacramenti probabitur. Cum ergo diversa ratio sit S. cœnæ, & aliorum Sacramentorum sive veteris, sive novi Testamenti ; quæ ex Institutione petenda est ; patet, nullius esse momenti istiusmodi argumentationem, atque a nostro argumentandi modo plane abludere. Quo refer & hoc ipsorum argumentum, quod B. Heshusius in Lib. de præsentia Corporis & Sanguinis Christi perstringit : *Circumcisio dicitur fœdus, agnus dicitur pascha seu transitus Domini, Petra dicitur Christus : At in his phrasibus necesse est admitti tropum.* Ergo & in verbis Cœnae : *Hoc est Corpus meum ; admittendus est tropus ;* quod eorum fere morbo laborat. Idem esto judicium de sequentibus syllogismis : Abraham genitus est ex concurso maris & fœminæ. Abraham est homo. Ergo oannis

homo genitus est ex concursum maris & foeminae; cum tamen exemplum Adami obstat, item Christi veri hominis, at non materi hominis. Nam prædicatum non est subjecto essentiali, neque in omnibus aliis individuis eadem ratio. Sic scopæ dissolutæ sunt: Judas Iscariotes prodidit Christum. Judas Iscariotes fuit Apostolus. Ergo omnis Apostolus prodidit Christum. Petrus in atrio Pontificis sese execratus est. Petrus fuit Apostolus. Ergo omnis Apostolus in atrio Pontificis sese execratus est. Sed non attinet nodum hic in scirpo querere.

§. 18. Id potius agemus, ut usus doctrinæ nostræ exemplo fiat magis conspicuus. Ita queritur non immerito: *An modus argumentandi Paulo exhibitus Rom. 4. bonus sit, nec nec?* Ubi illi, quibus purior cœlestis veritatis lux adfulxit, uno omnes fatentur ore, non posse dari sine summo scelere, quod Spiritus sanctus concluserit aliquid ex eo, ex quo non sequatur, hoc est sine consequentia. At in eo cardo questionis vertitur: *Anne iste modus argumentandi, quando Spiritus sanctus argumentatur ab exemplo Abrahami, procedat, & quidem recte, a particulari ad universale, an secus?* Heic B. Hesbusius, cumque hoc Celeberrimus Cornelius Martini in Tractatu de Analyti Log. p. m. 148. putat, dicere velle, Spiritum sanctum argumentari a particulari ad universale, esse dicere, Spiritum sanctum facere conclusionem ex iis præmissis, ex quibus non sequatur. Quod ipsorum adseratum suo sensu verum omnino credimus. Interim, sicut probatum dedimus, bonam esse consequentiam, licet non formalē, at certe materialem a singulari ad universale (ad eoq[ue] a particuliari in latiori significatione tali ad universale) si cœterā fuerint paria: Ita integrum erit nobis, cum B. Stahlio in Disputat. de Consequ. a part. ad univ. cumque B. Slevogtio in Disputat. de Consequ. formalī & materiali, Viris, quorum in Orbem literarum amplissima extant merita, libere, at modeste adserere, quod non absurdum sit, si quis dicat, hunc syllogismum: Abraham fuit justificatus fide sine operibus. Abraham fuit justificatus. Ergo omnis, qui justificatur, justificatur fide sine operibus; recte concludere in tertia etiam figura, vi scilicet materiali ac propter eundem justificandi modum, qui in omnibus da-



tur. Quanquam non negemus interim, in alia quoque forma  
hoc argumentum proponi posse. *Conf. laudatae Disput. de Con-*  
*sequ. a part. ad univ. §. 35. seqq.* Alias tamen non abs re vide-  
tur etiam, quod argumentatio Paulina sit metaleptica, & Paul-  
lus probaturus, omnes homines fide justificari, substituerit in  
locum ejus per μετάληψιν hanc conclusionem: Abraham ju-  
stificatus fuit fide; hac hypothesi, quod concessa posteriori &  
prior concedenda sit, ob unam scilicet eandemque rationem,  
qua utroque subest. Tuetur hanc sententiam *B. DN. D. Christianus Chemnitus, Theol. quondam Prof. ut & Pastor ac Su-*  
*perintend. Jenensis undique meritisimus.* Verba ejus ita ha-  
bent: *Hic questio illa: Quomodo homo justificetur coram Deo,*  
*per syllogismum metalepticum (qui est species syllogismi ex hypo-*  
*thesi) translata est in exemplum Abrahami, ut, probato, quod  
Abraham fuerit justificatus fide, pro demonstrato habeatur, omnem  
hominem justificari fide. Hanc aliter, atque Christus questionem  
de resurrectione mortuorum transtulit ad exempla Abrahami,  
*Isaaci & Jacobi, Matib. 22. v. 32. Vid. Explic. publ. sup. eit. loc*  
*rum Paulinum.* Si quis proinde putet, Apostolum sic argumen-  
tari velle: Cuiusque fides imputatur ad justitiam, is sine ope-  
ribus fide justificatur (qui enim justificatur ex operibus, ei non  
fides, sed opera imputantur ad justitiam.) Atqui Abraham  
(non tantum incipienti justificari, Gen. 12. sed etiam justificato-  
jam tum, Gen. 15.) fides imputatur ad justitiam. Ergo Abra-  
hamus (non tantum incipiens justificari, sed & justificatus jam-  
tum) sine operibus fide justificatur; atque hac conclusione pro-  
bata propter hypothesin, & istam simul probatam dederit ac vo-  
luerit: Omnis homo fide justificatur sine operibus; eidem nullo  
modo refragabimur.*

§. 19. Adesto & exemplum ex veteri fædere. Ita ex *Psal-*  
*mo 51. v. 7.* nostrates Theologi deducunt peccatum originis,  
cum dicat David, se in iniuitate formatum esse in utero mater-  
no; ergo agnoscit peccatum, quod cum ipsa natura trahit origi-  
nem, quodque adeo recte censetur originalis peccati nomine.  
Quanquam enim vulgata versio pluralem habeat: In peccatis;  
tamen reddendum esse per singularem: In peccato tanquam in

uno, non in pluribus peccatis, ipsi fontes docent. Jam certum est, quod heic a singulari procedatur ad universale. Quia tamen hoc singulare induit quasi naturam speciei specialissimæ respectu hujus prædicati, quod omni vero meroque homini in corrupto statu necessario ac æqualiter competit, qui quidem secundum naturæ ordinem a parentibus nascitur, ita ut omnibus quoad hoc prædicatum eadem plane sit ratio; idcirco perbene se habere hanc eandem consequentiam, si non formaliter, at vi materia, ad severamus intrepide. Accedit enim, quod adversarius nequit ire inficias, quod, sicut se habet Davidis nativitas, perinde communis omnium sese habeat; adeoque probato hoc, quod David natus sit in peccato, per metalepsin & illud habendum sit pro demonstrato, omnem hominem nasci cum & in peccato. Liceat pulchris verbis, quibus Venerandus DN. D. Valentinus Velthem hanc rem exponit dilucide, majorem dictis accendere lucem. Habentur autem ista in Lectionibus Ejusdem publicis Theologico-Historicis, quæ jam ad finem properant, Loc. VII. de peccato originali & actuali; Psal. 51. v. 7. Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato calefacta est mater mea (concepit me mater mea) redit idem argumentum, quod ex præcedentibus Locis Genesios formabatur: Scil. quodcunque malum a primo conceptionis momento cum ipsa hominis natura traxit originem, illud est peccatum non actuale, sed originale. Atqui malum, de quo hic loci, np. in §. 51. v. 7. agitur, statim a primo conceptionis momento cum ipsa hominis natura traxit originem, E. Major propositio est evidens, quia illud peccatum quod statim cum ipsa natura hominis incipit, peccatum originis est & recte dicitur. Minor patet ex ipso textu, ubi Psaltes dicit, se genitum esse in peccato, & eo statim momento, quo conceptus est, simul incepisse peccatum. Pelagiani, Photiniani & Sociniani, ut inveniant, quod regerant ac adversus manifestam Scripturæ S. assertionem urgeant, in varias abundunt vias, quod initium ac indicium desertæ deserendæque causæ est, dum dicunt alii, hunc locum agere de solo Davide; adeoque a Nostratibus, b. e. orthodoxis Theologis, ex puris particularibus argumentum b. m. formari: David conceptus est in peccato & natus in iniquitate. David fuit homo. Ergo omnes homines concepti sunt



sunt in peccato & nati in iniquitate. Verum resp. hanc exceptionem plane frivolam esse, cum, quod uni est naturale, illud etiam reliquis hominibus sit commune, propterea quod omnium hominum, quantum ad præsens attinet, sit una eademque ratio: Nam si sanctissimus ille Vir fuit in peccato conceptus, quidni & reliqui homines, qui in sanctitate ipsi pares non sunt? Quod igitur ad argumentationem orthodoxorum Theologorum modo allatam attinet, ea est nervosissima, quia supra dubitandi licentiam positum est, unam, quantum ad præsens attinet, esse rationem generationis omnium, i. e. cum omnes eadem ratione generentur, non potuisse Davidem alia ratione generari, alia autem alios homines. Hæc ibidem prolixe optimus Præceptor, ubi una & aliis aliorum exceptionibus satisfacit. Interim bona pace huic ex omnibus aliqua transcripsisse juvat. Alia, quæ heic moneri poterant, ne faciem in alienam messem videamur immisuri, voluntario præteritus silentio.

§. 20. Atque sic Colophonem imponere placet opera præsenti, quo pagellis ac tempori parcamus; poterat enim & hic unum instar omnium sufficere exemplum. Tu vero, L. B. si humani quid admiserimus, veniam dabis, memor & ipse hominem esse. Nam humana fert conditio suos nævos, & quod universis hac in parte communiter obtingit, unus instar omnium

præ se fert semper, facitque  
testatum.

## SOLI DEO GLORIA!

### ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

- I. Qui latina loquitur & grammaticè, non semper latine loquitur.
- II. Suo non caret sensu hæc oratio: Quædam homo est natura, visum vitium naturam.
- III. Satis bene dici nonnullis videtur: Vir nubit mulieri. Quod si & nobis satis bene dictum

videretur, minus bene tamen id habere cen-  
seremus.

IV. Attice & illis temporibus, quæ augmento  
carent, additur augmentum. Sic Joh. 19, v. 31,  
*κατεδύων* pro *καταδύπτ* positum occurrit;  
Simili modo pro *κατάζει* *κατεδέξι* legitur  
Matth. 12, v. 20,

V. Inter figuram Kamets & Kamets-chatuph  
nihil est discriminis, nisi quod accentus toni-  
cus, seu euphonicus metheg isti addatur;  
qui si non inquam ex incuriasit omissus,  
analogia vocis ac sensus attendi debent.

VI. Quædam anomala confundunt formas, &  
vel e diversis conjugationibus vel temporis-  
bus, vel radicibus emphaseos gratia compo-  
nuntur,

VII. Soluta etiam oratio numero metroque  
constare debet; ubi tamen poëticæ dimensi-  
oni locus non est,

VIII. Sæpe versus claudicat, quem velocitate  
pedum satis valere duxeris non abs re.

IX. Si quis doctrinam de affectibus tradendam  
esse in Rheticis, neget, rem certe non sine  
affectu æstimat.

X. Carmina cum ipsis pene mundi exordiis  
exordia cepisse, neque tamen cum fine hujus  
finienda, non est improbabile.

XI.



- XI. Musæ prius floruerunt, quam florere cœperunt Musæ, novem scilicet istæ, quas Seculum ante Christum nat. XIII, creditur educasse.
- XII. Græci præ cœteris multum ad Sapientiæ incrementa contulerunt. Quin tamen barbarica Philosophia græcam canicie sua antecesserit, nulli dubitamus,
- XIII. Philosophiam Aristotelis mira olim exceperunt fata, dum mox incuriam indoctorum, mox injuriam temporum experta est. Sed ista florente floruit quoque veneranda Scientia, consopitur itidem ista sepulta,
- XIV. Qui negat, Logicam esse scientiam de arte inveniendi scientiam vel opinionem, is, ut mollier loquamur, ignorat genuina Analyticæ præcepta,
- XV. Neutra propositionum harum, utut contradicentes videantur, vera est: Solus Pontifex est Caput Ecclesiæ: Non solus Pontifex est Caput Ecclesiæ. Ejusdem furfuris sunt hæ: Sola bona opera justificant; Non sola bona Opera justificant,
- XVI. Enunciatio potest esse impossibilis, quæ tamen est in materia necessaria; & necessaria contra, quæ est in materia impossibili,
- XVII. Potest aliquid esse tota essentia entis, ut tamen non sit de essentia ejus, nec ad essentiam pertineat.

D

XIX.



- XVIII.** Non omnis substantia per se subsistit, quis ergo crederet, substantiam in communi esse ens per se subsistens?
- XIX.** Quæritur: An sua somniis denegari nequeat divinatio?
- XX.** Monstrosa esset sententia, quæ mulieres inter monstra referret.
- XXI.** Particula **תְּנִשְׁמַת** quæ Genes. primo voci **הַשְׁמֵת** jungitur, non debet legi per **וְנִשְׁמָתָה** quasi cœlum literis coruscum & figuris alphabeticis distinctum significetur.
- XXII.** Quando Sol tanquam signa luctus editurus ob mortem Domini sui eclipsin passus est, hoc singulare quid fuit, & prorsus extraordinarium.
- XXIII.** Tolle liberum arbitrium hominis, hominem ipsa humanitate exues.
- XXIV.** Potest aliquis sua voluntate cogi, ut velit hic & nunc, quod alias sibi relictus minime vellet.
- XXV.** Mendacium qui dixit, cave mentitum illico duxeris.
- XXVI.** Autóγετος est homo pessimus, utpote qui recusat honeste vivere, cum velit plane non vivere.
- XXVII.** Sicuti Regum ac Principum status est a Deo, ita similiter Aulicorum status non adversatur Eadem, qui solus est infinitæ bonitatis.

*Instar*



**I**nstar cunctorum probat unum. Nonne probares  
    Unum solertes sedulitatis opus?  
**P**ergito doctrinam vanis præponere cunctis,  
    Hanc unam pulchri luminis instar habe.  
**N**ec deerunt certe Virtuti præmia digna,  
    Sed multæ laudes unius instar erunt.

*His pereximis DN. Respondenti, Auditori ac Amico suo  
estimatissimo de Philokovia laudanda impensaque  
solida doctrinæ studio gratulari ex animo  
voluit*

## PRÆSES.

**D**ie unvergnügte Lust der Welt-erhöhten Sinnen  
    Gleichet dem erbosten Meer / so niemahls bleibt still;  
**S**ie dencket iczv das / bald jenes zu gewinnen /  
    Ic mehr man hat erlangt / ic mehr man haben wil.  
**D**och Ihn / hochwehrter Freund/wil dieses nicht gefallen/  
    Ob einem ieden sonst die Menge schon beliebt:  
**N**ur eines wehlet Er an statt des andern allen/  
    So dem gelehrtten Eum allein Vergnigung giebt.  
**W**ohlan! Das grosse Eins in unzertheilten dreyen/  
    Die nie gezahlte Zahl / so mehr denn alles heist.  
**V**erleihe frohes Glück und himmlisches Gedeyen/  
    Zu Seinem munten Fleiß / Der heute sich erweist.  
    Dieses wenige seßten glückwünschend  
    des Herrn Resp. sämliche

## Zischgenoßenn.

**A**uro doctrinæ Tua mens flammisqve resulget,  
    Atque inter Musas quarit amica locum.  
**M**agis illâ virtute Tua! Sectare recessus  
    Doctorum: Nescient sic Tibi ferta D E A.

*L. mg. f.*

**J**OH. Lauterbach / Numb.

*D 2*

Omnē



**O**mne feres punctum, defendens Omne sub uno;  
Præside dum claro prælia fausta subis,  
Id cunctis vere tribuis, quod competit uni,  
Sic, Daumi, dabitur Laurea pulcra TIBI.

Clarum nomen & præmia nobilia cum voto omnigenæ  
prosperitatis DN. Respondenti, Amico &  
Conterraneo suo suavissimo ominatur

**Hartmann. Christianus Hoffmann/**  
S. S. Theol. Stud.

---

**JOHANNES DAUMIUS,**

*nat' avayę.*  
**H**em! non das, I Vivas!  
Hem! non desidiæ sterilis das, optime, signa,  
Sed vigilis studii; quod docet hoc specimen,  
Hac ratione Virum Te præstas; Perge studere;  
Si pergis, poteris Vir fieri celebris,  
I, Vivas felix! Tibimet benedicat Iova,  
Atque tuis studiis, hoc precor ex animo!

*Sic*  
**D**omino Respondenti suo Contubernali  
acclamabat

---

**Joh. Caspar. Groß/**  
SS, Theol. Stud.



Ji 2149



56.

Von 18

Von A





## Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



AR OMNIUM  
DIDUCTUM

STIO

singulari univer-  
bari posfit?

RETO

GII PHILOSOPHICI  
OCO

Majorum rite

do,

*Introd exponit*

DRUS Ständer/

rg.

ENTE

E Daumen/  
uring.

Salana

Mart.

C.

anis, Anno 1685.